

---

quae simplicem ac propriam doctrinam salutarem Jesu Christi tradat, eamque separet ab omnibus iis, quae ab aliis hominibus vel antea inventa, vel postea huic doctrinae superaddita sint. Tanta enim est doctrinae Jesu Christi de uno vero Deo ac pio veri Dei cultu, atque de recta et plana via, quae nos ad veram et æternam beatitudinem ducat, evidentia, præstantia et efficacia ad veram virtutem et pietatem in animis nostris excitandam et corroborandam: ut, quum virtute ac pietate christiana vere nihil sit pulchrius, nihil formosius, nihil amabilius, dubitari nequeat, quin omnes, qui hanc doctrinam recte perceperint, et veram virtutem christianam penitus cognoverint, ardentissimo hujus doctrinae præstantissimae et virtutis pulcherrimae amore incendantur. Si quis autem hoc consilio in institutione juvenum